

vitatem ex parte obiecti, finis, et circumstantiarum; 3<sup>o</sup> ad gradum deliberationis, malitiae, infirmitatis et ignorantiae.

2<sup>o</sup> Ubi clarum non est, aliquod peccatum esse mortale, non debet esse praeceptus Confessarius in iudicando illud esse reapse grave tum obiective tum subiective; quia in dubio pro minima parte standum est, vel saltem res est divino iudicio relinquenda. — S. Lig. n. 52. — S. Thom. — S. Antoninus, etc.

3<sup>o</sup> In dubio de perfecto consensu iudicabis in favorem poenitentis, 1<sup>o</sup> si sit timoratae conscientiae et habitualiter paratus sit mori potius, quam Deum offendere; 2<sup>o</sup> si advertens plenius ad tentationem territus fuerit, eamque statim repulerit; 3<sup>o</sup> si nesciat, an vigilans vel dormiens, an sui plane compos quidpiam mali fecerit aut voluerit. — Elbel, n. 578. S. Lig. lib. 6. n. 476.

4<sup>o</sup> Confessarius non satisfacit muneri suo, si nullam curam adhibeat, quo poenitentem a frequentia peccatorum venialium, eorum praesertim, quae plena cum advertentia committuntur, removeat. Quippe qui nihil prorsus satagit vitare venialia, paulatim in mortalia aliquod prolabi demum solet. — V. *Casus*, n. 144. et seq. — Roncaglia c. 1.

### CAPUT III.

#### DE DISTINCTIONE PECCATORUM

*Agendum* 1<sup>o</sup> de distinctione specifica; 2<sup>o</sup> de distinctione numerica.

#### ARTICULUS I. — DE DISTINCTIONE SPECIFICA.

*DISTINCTIO specifica* peccati oritur ex speciali malitia, seu ex diversa deformitate, qua unum peccatum ab alio essentialiter differt. Malitia enim peccatorum varia est pro diversitate obiectorum, ad quae se convertit peccator. Sic homicidium, furtum, luxuria specie differunt.

137. *Regulae*. — 1<sup>a</sup> *Regula*. Desumitur distinctio specifica peccatorum ex oppositione ad diversas virtutes, necnon ex deformitate moraliter diversa contra eandem virtutem.

Ratio 1<sup>a</sup> patet, quia singulae virtutes habent suam bonitatem specialem et omnino distinctam; ergo etiam peccata ipsis opposita specialem turpitudinem necessario contrahunt. Sic negatio veritatis revelatae, desperatio, odium Dei inter se specie differunt. Quare? quia tribus virtutibus specie diversis opponuntur, scilicet Fidei, Spei, et Charitati.

Ratio 2<sup>a</sup> est, quia ubi malitia est moraliter diversa contra aliquam virtutem, eidem speciali modo repugnat, et novam classem deformitatis constituit. Est autem moraliter diversa haec malitia, quando opponitur variis officiis eiusdem virtutis, vel modo omnino disparato et opposito

hanc virtutem laedit. Sic homicidium, furtum, detractio specie inter se differunt, licet eidem virtuti, iustitiae scilicet, adversentur? Quare? quia opponuntur diversis officiis eius virtutis, quae iubet ut nemo laedatur sive in bonis vitae, sive in bonis fortunae, sive in bonis famae. — S. Lig. n. 31.

138. — II<sup>a</sup> *Regula*. Specifica peccatorum distinctio desumitur etiam ex violatione praeceptorum *moraliter* diversorum. Peccatum enim est legis, seu praecepti transgressio; ergo ubi praecepta specie morali inter se differunt, etiam peccata ipsis opposita specie differre debent. Sic omissio Missae die festo, omissio ieiunii praecepti, omissio confessionis annuae vel Communionis Paschalis, specie inter se differunt. Dicuntur autem praecepta moraliter diversa, quoties diversum habent obiectum, ut ieiunium, auditio Missae, abstinentia a carnibus; vel quoties motivum praecepti est diversum, licet obiectum idem sit. Sic duplex peccatum specie diversum patrat, qui in Quadragesima omittit ieiunium, ad quod aliunde ratione poenitentiae sacramentalis tenetur. Contra vero furtum est unicum peccatum, licet divina et humana lege prohibeatur, quia eadem est ratio prohibitionis. — S. Lig. lib. 5. n. 33.

Aliqui addunt tertiam regulam ex obiectis repetitam (1); huic sequentes versiculi:

Virtus, praeceptum, diversa obiecta, modusque  
Dant speciem peccatis, diversumque reatum.

139. *Resolves*. — 1<sup>o</sup> Quatuor diversa peccata committit, qui ligatus voto castitatis, peccat cum consanguinea coniugata, quia violat quatuor virtutes diversas, nempe, castitatem, religionem, pietatem et iustitiam.

(1) Graviorum Theologi regulam hanc proponunt non ut tertiam quampiam ab aliis seiunctam, sed potius ut primariam, ad quam reliquae tamquam ad radicem seu fundamentum reducuntur. Conf. Suarez (In 1. 2. Tr. 3. disp. 7. sect. 7. n. 4. et 6.), et Laymann, qui (lib. 1. Tr. 3. cap. 2. n. 2.) scribit: *Unitas vel diversitas specifica peccatorum... proxime ac formaliter desumitur ex rectitudine seu honestate virtutis, cui opponuntur: remote autem et fundamentaliter ex obiecto*. Et Tanner (disp. 2. *De act. hum.* q. 5. dub. 2. n. 49.): *Atque hoc* (scil. peccata distingui penes oppositas virtutes) *in re non est diversum*

*ab eo, quod est distingui specie secundum obiecta, cum ipsae virtutes specie distinguantur secundum obiecta*. Praeiverat autem S. Thomas (1. 2. q. 72. art. 1. ad 2.): *Peccata magis distinguuntur specie secundum obiecta, quam secundum opposita: quamvis etiam distinguantur secundum oppositas virtutes, in idem rediret: virtutes enim distinguuntur specie secundum obiecta*. Et rursus (2. dist. 42. q. 2. art. 2. q. 1. ad 1.): *Divisio peccati in species suas essentialis est per oppositum virtutis, quia oportet, quod sit secundum obiectum, ex quo specificatur peccatum et virtus*.

2<sup>o</sup> Tripliciter peccat, qui occidit Sacerdotem vel Religiosum in Ecclesia; quia violat iustitiam occidendo, et Religionem duplici modo specificè diverso, violando scilicet personam sacram et locum sacrum.

3<sup>o</sup> Non committit peccata specie diversa (2), qui omittit Missam die Dominica, in quam aliud festum de praecepto incidit, v. gr. B. M. Assumptio, nec qui violat ieiunium vigiliae aut quatuor Temporum in Quadragesima incidentium, quia praecepta illa non sunt formaliter diversa.

4<sup>o</sup> E contrario tria peccata specie diversa patrat unico actu, qui omittit ieiunium, ad quod eadem die obligatur ex praecepto Ecclesiae, ex voto, et ex poenitentia sacramentali; idcirco in confessione triplicis huius obligationis violatio aperiri debet.

5<sup>o</sup> Specie differunt haeresis et omissio actus Fidei, qui ex praecepto fieri debeat; item desperatio et omissio actus Spei; vel odium Dei et omissio actus Amoris debiti; atque ita pleraque commissionis et omissionis peccata, quorum unum repugnat praecepto affirmativo, alterum negativo.

6<sup>o</sup> Specie differunt detractio, iudicium temerarium, et contumelia, quia modo diverso iustitiam laedunt. Furta vero specie non differunt ob diversa bona fortunae surrepta, quia haec cum referantur ad idem commercium, eundemque usum hominum, moraliter unum quid reputantur.

7<sup>o</sup> Specie differt violatio ieiunii per esum carnis et per multiplicem refectionem, quia praeceptum virtualiter duplex violatur, quatenus scilicet cibi qualitatem et quantitatem praescribit.

ARTICULUS II. — DE DISTINCTIONE NUMERICA

160. *Regulae.* — I<sup>a</sup> *Regula.* Numerica peccatorum distinctio desumitur ex diversitate obiectorum totalium seu moraliter diversorum. — Ita communiter cum S. Lig. n. 45.

Ratio assertionis evidens est. Ubi enim sunt obiecta formaliter ac moraliter totalia, ac ab aliis distincta, ibi plures etiam sunt actus voluntatis distincti, in se terminati et completi, et proinde plures malitiae distinctae, et consequenter plura peccata.

Porro obiectum totale illud dicitur, quod ab aliis obiectis omnino distinguitur, et in se completur, ita ut per se solum totum morale efficiat, et proinde non sit pars alterius, nec ad aliud ex natura sua referatur. Sic in homicidio unicum habetur obiectum totale, licet homicida varios actus praevios praemiserit, v. gr. quaerendo arma, struendo insidias, aut pluries percutiendo; quia omnes isti actus praevii habendi sunt ut partes actus principalis, et ad hunc ordinantur. Si vero homicida primum intenderit tantum percussorem, et postea, mutata voluntate, occiderit, duplex erit obiectum totale, quia uterque voluntatis actus obiectum suum totale habet.

(2) Imo nec duo eiusdem speciei peccata committit, sed unum dumtaxat.

161. — II<sup>a</sup> *Regula.* Numerica peccatorum distinctio desumitur etiam ex multiplicitate actuum moraliter interruptorum. — S. Lig. n. 36. et alii communissime.

Etenim quando actus voluntatis moraliter interruptuntur, singuli evadunt in se completi, neque actus sequens potest dici continuatio praecedentis. Sic qui pluribus vicibus moraliter interruptis alium percutit, vel furatur, tot peccata committit, quot sunt percussiones, vel furta; quia tot actus diversos haec constituunt.

Actus autem voluntatis triplici modo interruptuntur, scilicet 1<sup>o</sup> Per retractionem, seu revocationem expressam voluntatis, quia haec impedit quominus actus posterior cum priore coniungatur, v. gr. si quis retractet pravam voluntatem male agendi, et postea eam resumat. — 2<sup>o</sup> Per cessationem voluntariam ab actu, seu per mentis applicationem ad diversum obiectum, v. gr. si quis libere cesset a proposito malo, et dein ad illud redeat. — 3<sup>o</sup> Per moram sat notabilem ratione habita ad actus naturam ita ut iudicio prudentium actus voluntatis cessare censeatur (3).

162. — Quaeenam autem mora censeatur sufficiens ad actuum multipliciter? Traduntur communiter sequentes regulae:

1<sup>o</sup> Actus mere interni, qui nullum ordinem inter se habent, complentur statim ac interruptuntur, et proinde toties multiplicantur, quoties interruptuntur. Ratio, quia reapse totidem sunt actus voluntatis completi et distincti. Et sane tales actus moraliter non continuantur, cum unus ab alio non pendeat: neque in unum coalescunt, cum nihil in se habeant, per quod sibi invicem uniantur. Hinc poenitens debet in confessione exprimere, si possit, quot vicibus internae tentationi adhaeserit; quod si nequeat, dicat *circiter*; vel saltem an valde frequenter, decurrente die, consensum dederit.

2<sup>o</sup> Actus interni cum proposito externam actionem ponendi, multiplicantur toties quoties pravum propositum formaliter innovatur, ita scilicet ut posterius moraliter censi nequeat continuatio prioris. Ratio est, quia tunc novus voluntatis actus formaliter distinctus intercedit. Si vero propositum non renovetur, non fit novum peccatum, quia tunc prior

(3) Innuit A. interruptionem, quae involuntarie contingat. Nam etiam tunc, cum actus resumitur, novus adest actus voluntatis consentientis, quia, ut ait S. Alph. (lib. 5. n. 37.), quoad tales actus non pendet unus ab alio. Verum quod subdit (ibid.) S. Doctor: Ita communiter... contra Lugonem, difficulter admitti potest; quia Lugo (*De Poenit.* disp. 16.

n. 565.) concedit, utique non interrupti, quando posteriores voluntates dependentiam habent a prima, et ex vi primae voluntatis ponitur secunda, sicut ex vi intentionis ponitur electio ad finem. Secus vero (inquit) quando voluntates ita se habent, ut una voluntas non dependeat ab alia. Quae est ipsissima S. Alphonsi doctrina.

actus voluntatis in ipso effectu, vel in opere externo, si inchoatum hoc sit, perseverare censetur. Idem autem propositum maiori vel minori tempore perdurat pro varia intensitate necnon pro variis circumstantiis personarum, aetatis, sexus, indolis, etc. — S. Lig. n. 39 (4).

(4) S. Alphonsus (lib. 5. n. 39.) ad quaestionem, *utrum malum propositum interrumpatur per communes interruptiones, ut per somnum, distractionem, comestionem etc.*, respondet: *Negat Lugo, et adhaeret Tamburini, etiamsi magna mora intercedat; sed haec opinio est contra communem, et merito reiicitur, ut ait Croix lib. 5. n. 178.*

Sed reipsa Lugo ibi a Croix nullatenus memoratur. Quomodo ergo in textum S. Alphonsi nomen De Lugo irrepsit? Insuper S. Alphonsus (ibid.) ceu probabilior laudat sententiam Salmanticensium Tr. 20. cap. 12. n. 38. Atqui Salmanticenses hoc loco ista habent: *Ideo furandi aut fornicandi intentio permanet virtualiter in aestimatione morali, etsi discontinuetur per somnum, comestionem... et similes interruptiones; unde, esto post eas repetas iterum hoc pravam propositum, unicum peccatum committis: quia cum prima voluntas permaneat virtualiter, unitur et continuatur cum secunda.* Porro haec transcripta dixeris ex Lugo, qui eodem, ac S. Alph. indicat, loco (*De Poenit. disp. 16. n. 567.*) advertit, propositum non interrumpi per somnum, aut similes interruptiones communes et ordinarias; et alioquin ne verbum quidem habet de magna illa mora, de qua S. Alphonsus; quinimo ibidem probat quod Salas excipiat nisi inter ipsos actus voluntatis multum tempus intercedat, quia tunc censetur moralis interruptio; et (quod omiserunt Salmanticenses) addit: *Fortasse tamen facilius interrumpuntur moraliter voluntates mere internae, quando opus non coepit poni*

*exterius; quia illa positio seu inchoatio externa, cum sit sensibilis facilius coniungit partes in ordine ad unum humanum et morale faciendum.* Denique et illud, quod Salmanticenses (ibid.) addunt de morali interruptione, quando post mensem resumatur prius propositum, desumptum est ex Lugo, qui (*l. c. n. 545.*) scribit: *Dixi has interruptiones breves et communes, per somnum et similia non tollere unitatem peccati: aliud enim dicendum est de interruptione extraordinaria, quae quidem tollit unitatem moralem actionis humanae. Si enim ex intentione Petrum occidendi eum quaeras, et scias fuisse alio profectum et reversurum post mensem, et tu decernas eum occidere cum redierit: tunc certe, licet non revoces intentionem, adhuc occisio post mensem non faciet unum peccatum cum voluntate praeterita: sicut nec prandium erit unum, quantumvis non revoces intentionem, sed potius habeas intentionem redeundi post duas horas ad mensam, quia unitas harum actionum non solum petit intentionem non revocatam, sed etiam carentiam interruptionis, non cuiuslibet, sed humanae et moralis.*

Veniamus ad Tamburinium. Ac 1° advertite, Tamburinium locis a S. Alphonsi citatis (*Meth. Conf. lib. 2. c. 1. n. 35. 36.*) non agere de mero interno proposito, sed de proposito deducto ad opus. Porro de hoc casu etiam S. Alph. (lib. 5. n. 40.) scribit: *Actus voluntatis, si ex prima voluntate procedant, et moraliter permaneant in aliquo effectu, qui conducat ad consummandum peccatum externum, per quaecumque tempus du-*

3° Actus externi, seu externe consummati, multiplicantur toties quoties obiectum est disparatum, vel in se terminatum; non autem multiplicantur, etiam interposito notabili temporis intervallo, quando sunt

*ret prava voluntas, unum solum peccatum constituunt.* Imo Tamburinius (n. 36.) addit id, quod in S. Alphonso ibi non legitur, nimirum diserte excipit interruptionem, de qua supra Salmanticenses cum Lugo: et idcirco remittit lectorem ad praec. n. 34.

2° Quando autem Tamburinius agit de interno proposito, ita habet (ibid. n. 32.): *Quamvis sit speculative probabilior sententia asserens per quamlibet interruptionem multiplicari numero praedictos actus, unde et debere, si memoria teneantur, aperiri; tamen contraria opinio, quae docet minime debere, est etiam probabilis... Satis est igitur, si explicetur tempus, quando est notabile... et sic satis est, si dicatur: Ego v. gr. per unum diem odio graviter habens Petrum, illi mala gravia imprecatus sum.* Sed fac probe attendas ad ista, quae immediate subiicit: *Intelligitur enim more humano, idest tales actus per varias humanas actiones fuisse interruptos.*

3° Quid quod Tamburini eandem, quam S. Alphonsus dicit probabilior, doctrinam proponit absolute? Nam S. Alphonsus (lib. 5. n. 39.) scribit: *Sed probabilius videtur dicendum, quod si intercedat tempus breve, actus non discontinuatur; secus, si intercedat tempus diuturnum.* Tamburini vero (*l. c. n. 47.*): *Regula universalis est huiusmodi: Si intermediet multum temporis inter actus, ... iudicabitur distinctus actus, distinctumque numero peccatum; at si breve tempus intericiatur, censebitur unum facere cum priore.*

4° Quid vero, quod S. Alphonsus videri queat liberalior ipso Tamburinio? Subiicit nimirum S. Doctor (ibid.) quae-

stionem, *Quale aestimandum sit tempus diuturnum, quod scilicet intercedat unum inter et alterum actum, ita ut duo actus habendi sint ceu inter se discontinuati.* Missum porro nunc fiat, quod S. Doctoris responsum videri forte queat partim ad rem, partim abs re. Nam abs re videntur ibi afferri sententiae Vivae (*De Poenit. q. V. art. 6. n. 6. in fin.*) et Concinae (*De Pecc. diss. 1. cap. 6. q. 4. n. 16.*), quippe qui non agunt de diuturnitate temporis, quod intercurrat inter unum et alterum actum, sed de tempore, quo unus actus perseverare moraliter censi possit. Ad rem vero faciunt allatae ibi sententiae Salmanticensium (tr. 20. c. 12. n. 38.), et Roneaglia (tr. 2. q. 1. c. 2. q. 2. resp. 1.), qui utique loquuntur de distantia temporis decurrentis inter unum et alterum actum. Missum etiam illud fiat, quod et propria S. Doctoris responsio minus sit ad rem, quia non quaestioni propositae de tempore, quod inter actum et actum decurrat, sed quaestioni de unius moraliter actus duratione respondet. Quod nunc attinet, S. Doctor (*l. c.*), reponit: *Sed ego puto, impetum unius actus difficulter posse protrahi (ordinarie loquendo) plus quam ad duos, vel tres dies ad summum. Hinc qui perseverat in mala voluntate ultra duos vel tres dies, explicare debet tempus, ut sic intelligatur moraliter numerus actuum internorum circa peccata externa.* Ita S. Alphonsus. At enim multo moderatior, ac pene dixerim severior est Tamburinius. Ubi enim obligationem exprimendi tempus S. Alphonsus non imponit, nisi ubi ad duos aut tres dies actus protrahatur, Tamburinio ad id sufficiunt sex aut decem horae. Sic enim ille (*l. c. n. 49.*) ad quaestionem, *An debeas explicare, te*